

cui debeat portio canonica episcopalis? Resp. I. Canonica portio episcopalis est quadam pars juxta sacros canones episcopo debita de iis bonis, quæ per ultimam voluntatem relinquuntur Ecclesiis, vel aliis lociis piis. Barbosa, *de Offic. et potest. episcop.* p. III. alleg. 86. n. 1; Donatus, t. III. tract. XI. q. 1; Pirhing, *de Testam.* n. 94, et in re communis aliorum, arg. c. *Requisivisti*. 15. *de Testam.* c. *Officiu*. 14. eod. c. *Conquerente*. 16. *de Offic. ordin.* juncto can. 1. et seq. cau. 10. q. 3. Vocatur « canonica portio, » c. fin. *de Testam.* et alibi, quia per sacros canones fuit introducta, Barbosa, loc. cit. item « Quarta mortuorum. » c. *Conquerente*. 16. *de Offic. ordin.* quia de relictis in mortuo, seu per ultimam voluntatem, Glossa, in cit. c. *Conquerente*. §. *Mortuorum*.

60. *Quantitas ejusdem, que?* — Resp. II. Quantitas portio canonice episcopalis non ubique est eadem, sed diversa pro diversitate consuetudinis locorum, ut proin circa quantitatem attendendum sit ad loci consuetudinem, prout in simili diximus supra de portione canonica parochiali: patetque clare ex cit. c. *Requisivisti*. 15. *de Testam.* ibi: « Regulariter verum est quod episcopus secundum diversas consuetudines tertiam, vel quartam portionem debet habere. » Tertia pars assignatur etiam can. *De His*. 7. et can. *Decrevimus*. 10. can. 10. q. 4. Quarta determinatur can. *Vulterana*. 25. et pluribus seq. cau. 12. q. 2. sicut etiam cap. *Conquerente*. *de Offic. et ordin.* subinde etiam *Medietas*, can. *Antiquo*. 8. cau. 10. q. 1. ut proin consuetudo merito attendenda sit, quæ ubi deest quarta pars eligenda est per jura allegata supra n. 48. ubi in simili quartam probavimus in portione parochiali.

61. *Portionem episcopalem dare tenentur omnes ecclesie, et loca pia.* — Resp. III. Portionem canonice debent episcopo omnes et solæ Ecclesiæ locaque pia intra suam dioccesin existentia, suæque jurisdictioni subjecta. Barbosa, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. et §. *de Offic. ordin.* n. 106; Sylvester, §. *Canonica portio*. q. 3; Donatus, loc. cit. n. 1; Abbas, in c. *Requisivisti*. 15, n. 9. *de Testam.* Layman, lib. III. tract. V. cap. XII. n. 13. et communis aliorum, juribus supra, n. 59. citatis. Ratio est, tum quia non tantam Ecclesia cathedralis, sed et aliæ Ecclesiæ ac loca pia eidem sunt subjecta, c. *Cum episcopus*. 7. *de Offic. ordin.* in 6. consequenter omnia ad portionem hanc sicut ad alia jura

episcopalia (de quibus in cit. c. *Conquerente*. 16. *de Offic. ordin.*) in signum recognitionis tenentur: tum quia circa omnes onus gerit et curam episcopalem, consequenter ab omnibus mercedem meretur. arg. c. 1. h. t.; Barbosa, loc. cit. n. 7.

62. *Limita in monasteriis, et ecclesiis exemptis.* — Limitatur autem conclusio: Primo in monasteriis, ecclesiis et locis exemptis; hæc enim ad quartam episcopalem non teneri, communis, ac probabilior tenet doctorum signanter Barbosa, loc. cit. n. 10. ubi testatur *de Communi et vera*, Abbas, in c. *Officiu*. 14, n. 6. *de Testam.* dicens, « esse communius et verius; » Sylvester, §. *Canonica portio*. q. 3. n. 4; Angel, eod. verb. n. 7; Miranda, *Manual. prelat.* t. II. lib. IX. cap. XII. q. 5. et alii. Fundamentum est; quod rationes, ob quas alia loca pia tenentur episcopo solvere portionem canonice, cesset in locis exemptis, utpote respectu quorum episcopus nec est superior, cum ab ejus jurisdictione exempti sint, et eorum ordinarius sit summus Pontifex, uti bene observat Glossa communiter recepta in can. *Nulla*. 8, dist. 93; §. *Acephalos*; nec specialem curam et onus circa eosdem, quippe curæ illius non subjectos habeat. Accedit, quod episcopus nec cæterea jura episcopalia recipiat a locis exemptis, c. *Cum episcopus*. 7. *de Offic. ordin.* in 6, et ibi Glossa recepta §. *Non exempto*. His adde, quod etsi exempti etiam de jure communi tenerentur ad solvendam quartam episcopalem, tamen complures religiones præsertim supra n. 55. allegatæ essent ab hoc onere liberæ ob specialia privilegia per pontifices ibidem adductos concessa vide apud doctores eod. n. citatos.

63. *Ac etiam in ecclesiis non exemptis, casu quo eis quid relinquatur pro fabrica, luminariis, etc.* — Limitatur secundo in casu, quo Ecclesiis, et locis piis etiam non exemptis legatur vel relinquatur aliquid pro fabrica, luminariis, ornamentis, anniversariis, etc. textu claro c. fin. *de Testam.* et ibi Abbas n. 2; Covarruvias, n. 4; loc. cit. n. 23. et alii. Limitatur tertio, si quid legatur pauperibus in genere, Barbosa, loc. cit. n. 22. Ratio est, quia in tali casu legatum non fit loco pio, sed personis, de relictis autem personæ non debetur portio episcopo c. *Ex parte*. 31. *de Verb. signif.* ergo, alias limitationes vide apud Barbosam loc. cit.

64. *Hæc portio consuetudine passim est sublata.* — Illud tamen etiam circa portionem

canonicam, seu quartam episcopalem addendum, quod hodie in pluribus dioccesibus contraria consuetudine penitus sublata sit, prout testatur Layman, lib. III. tract. V. q. 12. n. 13. et alii, patetque experientia, prout etiam videmus in ordinatissima diocesi Frisingensi, in qua reverendissimi ordinarii de legatis et relictis Ecclesiæ vel loco pio cuiunque, portionem canonice nunquam præterunt, vel exigunt.

65. *Pro terra sepulturæ deputanda nondum benedicta aliquid exigi vel accipi potest.* — Queritur VII. Num aliquid peti possit pro sepultura? Resp. I. Quamvis terra et fundus nondum benedictus emi vendi possit ad hoc ut dein benedicatur et in cœmeterium, vel aliam sepulturam privatam erigatur; tamen pro eadem jam benedicta, aut auctoritate episcopi in sepulturam ecclesiasticam deputata penitus nihil peti potest, non obstante consuetudine. Prima pars caret omni controversia, eamque cum Glossa, in c. *Abolendæ*, 13. h. t. §. *Sepultura*. tenent doctores unanimiter, arg. can. *Aurum*. 70. cau. 12. q. 2. et l. *Locum*. 9. c. *de Religios. et sumpt.* ubi utraque pars conclusionis illis verbis habetur: « Locum quidem religiosum distrahi non posse manifestum est; verum agrum purum monumento adhærentem profani juris esse, ideoque efficaciter venundari, non est incertæ opinionis: » ubi per *purum agrum* terra nondum benedicta intelligitur, l. II. §. *Purus*. 4. ff. *de Religios.* habetur ibi: « Purus autem locus dicitur, qui neque sacer neque sanctus, neque religiosus est. » Ratio est, quia cum juxta dicta hujusmodi terra vel fundus sit quid prorsus profanum, utique a domino ejusdem libere vendi, et ab alio emi potest; cum quivis rei suæ moderator, et arbiter sit, » l. *In re mandata*. c. *Mandata*. Nec tenetur dominus talem fundum pro sepultura gratis dare, utpote minime obligatus ad beneficium faciendum de suo can. *Aurum*. 70. caus. 13. q. 2.

66. *Non vero pro terra jam benedicta.* — Altera conclusionis pars pariter est certa, eamque tenet Glossa, loc. cit. §. *Sepultura*. Abbas, in c. *Abolendæ*. 13. h. t. n. 1; Barbosa, ibid. n. 1; Pirhing, h. t. n. 36. et 37; Sannig, eod. cap. v. n. 7. et communis aliorum, arg. can. *Quæst.* 12. et tribus seq. cau. 13. q. 2. ubi contraria praxis vocatur *prava consuetudo*. c. *Abolendæ*. 13. h. t. ibi: « Abolendæ consuetudinis perversitas inolevit, ut decedentibus non prius permittatur

effodi sepultura, quam pro terra, in sua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur, etc. Mandamus, quatenus cum loci diocesanus existas, inhibeas clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa » juncta l. *Locum*. c. *de Religios.* Concordant, c. *Non satis*. 8. et c. *Cum*, in 9. *de Simonia*. ubi reprobat etiam contraria consuetudo « eo quod tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam, cit. c. IX. et quia diurnitas temporis non diminuit peccata, sed auget cit. c. VIII. ad fin. » Ratio est, quia ipsa benedictio sepulture adhærens emi ac vendi, consequenter res temporalis pro spiritali dari censetur, quod simoniacum est arg. tot. tit. *de Simon.*

67. *Nisi ibi adsit consuetudo, vel liberaliter quid offeratur.* — Resp. II. Potest nihilominus pro sepultura liberaliter Ecclesiæ oblatum aliquid temporale accipi: imo, ubi consuetudo pro ea quid dandi viget, etiam peti, absque tamen turpi exactione: quamvis laici si talem consuetudinem observare detrectent a loci episcopo ad id compelli possint, funeralibus tamen prius peractis. Abbas, in c. *Abolendæ*. 13. h. t. n. 7; Sylvester, §. *Simoniam*. q. 11. dict. 1; Pirhing, h. t. n. 40, et alii infra n. 70. citandi, ubi, quod similiter pro exequiis, et actu sepulture, quia peti et accipi possit, dicimus, et ulterius probavimus arg. c. *Ad Apostolicam*. 42. *de Simon.* ubi consuetudo pro exequiis aliquid dandi non tantum approbatur, sed etiam observari præcipitur. Ratio autem, cur pro sepultura aliquid accipi, et stante consuetudine etiam peti possit, est conservatio, ac reparatio fabricæ, et aliorum Ecclesiæ ob quam pontifices similes laudabiles consuetudines aliquid Ecclesiæ dandi merito approbant, et observari præcipiunt. Roderiquez, t. III. q. 58. a. 2. et alii.

68. *Ratione situs etiam, et honoratoris loci aliquid peti potest.* — Resp. III. Probabile est, posse etiam per modum pretii et contractus aliquid peti et accipi, pro honoratori situ et loco sepulture: v. g. ut quis sepeliatur in Ecclesia, capella, etc., Rodrig., t. III. *Quæst.* Reg. q. 58. a. 2; Bellet, *Disquisit. cleric.* p. 1. *de Clerico debitore*. § 3, n. 30; Barbosa, in c. *Abolendæ*, 13. h. t. n. 7. et plures alii a Barbosa citati; quamvis non omnes ab eo citati conclusionem teneant, uti patebit insipienti fontes, contra Pirhing, h. t. n. 38. Ratio est, quia in tali casu non attenditur

ipsa sepultura, sed honor et præminencia, quæ ut quid profanum pretio æstimabile est, et ordinarie a defuncto, vel hæredibus ejus intenditur, utpote qui alias in cæmeterio tanquam communi loco sepulturæ, et ad id specialiter benedicto sepeliri permitterent defunctum. Accedit praxis quotidiana doctissimorum et timoratissimorum virorum ex utroque tam sæculari quam regulari clero pro sepultura in ecclesiis, vel aliis similibus honoratioribus locis sine omni scrupulo pascientium, et pretium accipientium, scientibus et tolerantibus reverendissimis ordinariis, imo id ipsum per suos practicantibus: qui omnes sane continuæ simonicæ pravitatis argui absque temeritate vix possunt.

69. *Solvitur instantia.* — Dices cum adversariis: locus, et quævis res sacra sub nullius sunt dominio, l. *In tantum*. 6. §. *Sacræ*. ff. *de Rer. divis.* ergo pretio temporali distrahi non possunt. Resp. negando suppositum argumenti, quod nempe ipse locus sacer pretio distrahatur; cum juxta dicta non pro illo, sed tantum pro honore et præminencia concessa, pretium exigatur: sicut a pari contingit, si pro pretio Ecclesia laico concedit honoratiorem locum, seu sedem, sive banchum in Ecclesia, quod fieri posse, etiam adversarii concedunt. (ADNOTATIO XLI.)

70. *Parochus neminem cogere potest ad dandum aliquid pro officio sepulturæ, exequiis, etc.* — Quæritur VIII. An clerici aliquid exigere possint pro actu, et officio sepulturæ, pro exequiis, deductione funeris, etc.? Resp. I. Illi clerici, quibus cura sepeliendi ratione beneficii incumbit, quales sunt omnes parochi, coactive nil possunt exigere, seu neminem possunt compellere, cogere, seu adigere, ut aliquid det pro actu sepulturæ, exequiis, etc., etsi ita compellendi et exigendi alicubi vigeat consuetudo. Est communis ac certa, claris juribus c. *Abolendæ*. 13. h. t. et c. *Non satis*. 8. *de Simon.* ibi: « Pro sepultura quoque nulla cujuscunque pretii exactio attemptetur: nec sub prætextu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas temporis, non dimittit peccata, sed auget, c. *Cum in Ecclesiæ*. 9. eod. » ibi: « Horribile nimis est, quod in quibusdam ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro sepultura et exequiis mortuorum aliquid requiratur. Putant autem plures, ex hoc, licere quia legem mortis de longa inva- luisse consuetudine arbitrantur, non atten-

dent, quod tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam, » etc.

71. *Bene tamen liberaliter recipere: et ubi dandi consuetudo est, episcopum convenire, ut ad dandum compellat.* — Resp. II. Possunt nihilominus præfati clerici sponte oblata pro exequiis accipere; imo etiam, ubi aliquid dandi vigeat consuetudo, dandum petere, et, ut dent, laicis obligationes insinuare, absque tamen coactione et compulsione, utpote quæ non ipsis parochis, sed episcopo, loci competil, casu quo laici laudabilem dandi consuetudinem alicubi introductam observare detractarent. arg. c. *Ad Apostolicam*. 42. *de Simon.* ubi ad propositum ita statuit pontifex: « Pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines præcipimus observari et infra: « Per episcopum loci compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare. » Ratio autem, cur pontifex hanc consuetudinem tanquam laudabilem approbet, et observari præcipiat, esse censetur honesta parochorum sustentatio, cujus titulo etiam pro spiritualibus temporalia, accipere licet, prout videre est in *Missis*, ac aliis laboribus spiritualibus: nec immerito, « cum dignus sit operarius mercede sua, » c. l. h. t. Nec multum sit, quod quis pro sua sustentatione ab eo accipiat temporalia, cui subministrat spiritualia, teste doctore gentium: et secundum eundem Apostolum: « Qui altari servit, de altari vivere debeat, » c. *Cum secundum*. 16. *de Præbend.*

72. *Solvitur instantia.* — Nec dicas parochos aliunde jam v. g. ex decimis, oblationibus, etc., suam habere sustentationem. Nam contra est, quod licet aliqui forsant sent, hoc per accidens foret, cum major pars honesta ac decenti sustentatione careat, nisi eidem funerales, et alii ex laudabili consuetudine, v. g. pro benedictione nuptiarum, administrandis sacramentis debiti redditus competere; præsertim postquam hodie decimæ reales et mixtæ passim ad capitula canonicorum, monasteria et nobiles transire: decimæ vero personales passim omnino in desuetudinem jam abierunt, ob continuam difficultatem in perscrutando, quidnam singulis annis quivis lucratus, consequenter ad quam quantitatem titulo decimarum personalium obligatus esset. In quarum proin decimarum personalium locum, præfatam et similes consuetudines laudabiles introductas, et a summis pontificibus appro-

batas fuisse, verisimile est, uti ex concilio Camerac. bene advertit Van Espen, p. 2. tit. XXXVIII. *de Sepult.* cap. IV. n. 40.

73. *Abusus parochorum in petendo aliquid pro sepultura et exequiis.* — Observant tamen Abbas, in cit. c. *Abolendæ*. 13. h. t. n. 3; Barbosa, ibid. n. 8. et doctores communiter, quod episcopus non tantum attendere debeat, ut laici laudabiles consuetudines observent, sed etiam vigilare teneatur, ne in hoc a parochis excessus fiant, ut loco laudabilium consuetudinum pravæ corruptelæ introductantur: inter quos est:

Primo, si ipsi parochi sua auctoritate laicos cogunt, et compellunt ad dandum id, quod vi laudabilis consuetudinis tenentur, arg. c. *Non satis*. *de Simon.* et c. *Cum in Ecclesiæ*. 9. eod.

Secundo, si nimium prætendunt, et quasi pro libitu, et effectu augent, vel diminuunt funeralia, præsertim, quando hæredes defuncti alias non adeo divites, sed in statu suo egentes sunt. Pro evitando hoc excessu in pluribus locis laudabilissime habentur certæ quædam taxæ ab episcopis, alibi a synodis, et in nonnullis locis, communicatis consiliis, auctoritate ecclesiastica, et laicali positæ, quas transgredi nec clericis, nec laicis licet. Habetur quidem similis taxa etiam in Bavaria per specialia concordata inter reverendissimos ordinarios et principem territorialem inita, in hoc puncto præscripta. Verum quia dicta taxa pro moderno tempore, quo cuncta honestæ sustentationi necessaria majori sunt comparanda pretio, pro clericis videtur nimis modica, hodie non amplius observatur, parochis ipsis taxam pro libitu, et discretionem sua facientibus. Ut proin haud dubie utile, et ad multa evitanda inconvenientia conducens foret, ad exemplum aliarum diocesium denuo certam, et proportionatam tempori secundum personarum morientium, et exequiarum diversitatem præscribere, plura exempla ad propositum affert Van Espen, loc. cit.

74. *Tertio*, fit excessus, quando parochus defunctum prius sepelire recusat, antequam eidem certum pretium persolvatur, aut promittatur, qui excessus, « abolendæ consuetudinis perversitas » vocatur, cit. c. *Abolendæ*. 13. h. t. et gravissime ibidem prohibetur.

75. *Quarto*, quando cogunt, et variis modis adigunt hæredes defuncti, ut præter exequias ac depositionis officium etiam tertium,

septimum, vel trigesimum pro lucro et commodo clericorum celebrari faciant; cum tertium, septimum, vel trigesimum celebrandi nulla de jure obligatio, sed mera liberalitas sit, prout etiam in diversis diocesisibus, ac specialiter, in ordinatissima nostra Frisingensi judicatum habetur, quod etiam annotavit Schmidt in statuta Bavariæ, ad processum edict. tit. II. a. 3. n. 13.

§ III.

DE HIS, QUIBUS SEPULTURA SACRA CONCEDI, VEL NEGARI DEBET.

76. *Omnes fideles baptizati, etiam damnati ad mortem (exceptis suspensis, et rotæ affixis) in loco sacro sepeliri debent.* — Quæritur I. Quinam in loco sacro sepeliri possint, ac debeant? Resp. I. Regula est: « Omnes et soli fideles baptizati in loco sacro sepeliri possunt ac debent, nisi a jure prohibeantur. » Unanimis, arg. can. *Qui divina*. 28. caus. 13. q. 2. ibi: « Christianorum per omnem modum humari oportet corpora defunctorum. » can. *Ecclesiam*. 28. *de Consecrat.* dist. 1. cum concordantiis. Nec refert, quod sint ad mortem damnati, textu expresso, can. 30. cau. 13. q. 2. ubi etiam ratio redditur illis verbis: « Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, et digne poenitentibus communio in fine secundum canonicum jussum danda est: cur non eis (de suspensis in patibulo est sermo) cui pro peccatis suis poenam extremam persolvunt? Scriptum est enim: Non vindicat Deus bis in idipsum. » Intellige tamen hæc, si a potestate sæculari permittitur, vel nisi ab eadem prohibeatur: dicitur enim l. I. ff. *de Cadaver. punit.* « Hodie eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petatum, et permissum: et nonnunquam non permittitur. » Nec est hæc lex injusta, uti post Glossam, in cit. cap. 30. cau. 13. q. 1. §. *In patibulis*, docet Covarruvias, lib. II. *Var. resolut.* cap. I. n. 11. contra aliquos a Covarruvia citatos: sed approbatur hodierna praxi, qua videmus in patibulo suspensos in loco sacro non sepeliri, imo ad justum terrorem aliorum nonnunquam etiam insepultos relinqui. Hinc licet, cum Abbate, in c. *Ex parte*. 11. n. 4; Sylvestro. q. 10; Layman, lib. III. tr. VI. cap. XII. n. 10; Pirhing, h. t. n. 6. Communis doceat, ad mortem damnatos, si poenitentes decedant, posse se-